

rum prohibetur, cum additione specialis pœnæ. Quæ lex, licet respectu delinquentium pœnalis sit, respectu eorum quorum tuitio intenditur, privilegium est, et tale est privilegium canonis *Si quis suadente*, personis ecclesiasticis concessum, et simile habetur in cap. *Paternarum*, 24, quæst. 2, et omnia jura quæ specialibus pœnis muniunt ecclesiasticam immunitatem, possunt sub hoc ordine privilegiorum collocari. Præterea solet interdum fieri nova concessio illius rei quæ per commune jus licebat, non solum ut res licite fiat, sed etiam ut ab inferioribus Prælati prohiberi non possit. Sæpe enim potest subditus aliquid licite facere, dum non prohibetur; potest tamen a suo Prælato prohiberi, ne id faciat. Et tunc si a majori Prælato specialem licentiam obtineat, dictum effectum operabitur, qui satis specialis est. Ultimo, per hujusmodi concessionem restituitur quis ad jus commune quod illi fuerat alias interdictum, ut si religioso detur privilegium ad appellandum, quod est veluti jus quoddam naturale, interdictum tamen religiosus quasi jure ordinario. De quo privilegio videri potest Panorm. in cap. 1 de Rescript., a n. 4, ubi etiam Dec., Hostiens. et alii.

9. *Aliquando datur privilegium in gratiam petentis, ad majorem securitatem ipsius, aut tollendum scrupulum.* — Addendum vero est ultimo, ex Felin. in c. 1 de Rescript., n. 4, cum Panorm. et aliis supra citatis, quod, licet privilegium possit non concedere aliquid ultra jus commune, regulariter non est ita interpretandum, etiamsi necessarium sit verba extendere quantum commode fieri possit. Et ideo, etiam regulariter loquendo, non est privilegium ita contrahendum, ut nihil operetur præter certitudinem, vel aliquid hujusmodi, sed tunc solum quando, ex materiæ qualitate et verbis privilegii, manifeste constat non fuisse aliam intentionem concedentis. Nam, si commode et secundum proprietatem verborum potest aliquid speciale ultra vel contra jus operari, id denegandum non est, quia et ipsa jura ita declarant privilegia quantum fieri potest, ut patet ex dicto cap. *In his*, cum similibus; et ratio favoris et beneficii postulat hanc amplitudinem in concessione, ut infra latius dicemus. Atque hoc etiam confirmat vulgare argumentum, quo multi colligere solent, id quod per privilegium conceditur, sine illo non licere, juxta cap. *Sane*, de Privileg., dicens: *Nullus debet sibi sua auctoritate præsumere, quod romana Ecclesia alicui, speciali ratione inspecta, voluit indulgere.* Et idem fere

habetur in cap. *Petiisti*, 7, quæst. 1, et in cap. *Non exemplo*, 26, quæst. 1, et in regula juris quæ habet, non esse trahenda in consequentiam quæ a communi jure exorbitant. Hæc enim et similia in hoc fundantur, quod privilegium aliquid speciale concedit, sine quo vel actus esset prohibitus, vel non esset in potestate operantis. Hoc autem argumentum regulare est, ut sic dicam, non certum et universale: tenet enim, quando constat privilegium concedere aliquid ultra communem consuetudinem, vel legem, ut sumitur ex Gregor., l. 2, epistol. 54, alias cap. 93, et habetur in cap. *Contra morem*, d. 100. Et idem est, quando conceditur nova potestas, sine qua actus non licebat. Quando vero privilegium clare conceditur solum in gratiam petentis, ad majorem securitatem, vel propter suum scrupulum, aut dubitationem, tunc argumentum dictum non est efficax: oportebit autem (ut dixi) talem esse materiam, taliaque privilegii verba, ut effectum alium non admittant.

CAPUT II.

AN SCRIPTURA SIT DE SUBSTANTIA PRIVILEGII, ET QUOMODO A RESCRIPTO, DISPENSATIONE, SEU BENEFICIO DIFFERAT.

1. *Ratio dubitandi ex Glossa et cap. Porro.* — Hæc quæstio necessaria visa est ad exactam declarationem privilegii, tam absolute spectatam quam per comparisonem ad alia, cum quibus affinitatem aliquam habere videtur. In definitione igitur privilegii nihil de scriptura diximus, sed solum esse legem privatam, et ideo merito interrogari potest an sit lex scripta, seu, quod idem est, an scriptura requiratur ad valorem vel effectum privilegii. Ratio autem dubitandi sumi potest ex Gloss. in c. 1 de Censibus in 6, verb. *In scriptis*, ubi privilegia ponit inter ea quæ in scriptis redigi debent. Allegatque cap. *Porro*, de Privileg., quia in eo dicitur inspicienda esse privilegia ut eorum tenor servetur. Favet etiam cap. *Contra morem*, d. 100, ibi: *Aut scriptis privilegiis se tueri.* Accedit, quod interdum per specialem gratiam Pontificis conceditur, ut vivæ vocis oracula valeant in conscientia; ergo signum est, per se non valere.

2. *Scripturam non esse de substantia privilegii, ex c. Institutionis.* — Nihilominus dicendum est, scripturam non esse de substantia privilegii. Ita sumitur ex cap. *Institutionis*, 25, quæst. 2, ubi id notat Glos., et ex Clement.

Dudum, de Sepulch., ibi: *Gratias, aut privilegia verbo aut scripto concessa*, ubi etiam Gloss. et doctores; et ex Extravag. *Et si dominici*, cap. ultim. de Pœnit. et remis., ibi: *Tam verbo quam scriptis. confectis exinde litteris, vel non.* Et iterum: *Quas concedi quomodolibet in posterum contingit, verbo, litteris, etc.* Idemque docent sub nomine gratiæ Innocent. in cap. *Constitutum*, de Rescript., n. 2; et Panormit., in cap. *Nostra*, eod.; Navar., consil. 1 de Privileg.; Felin., in rubr. de Constit., n. 5; et Deci., n. 26; Sylvest., verb. *Privilegium*, n. 14. Ratio vero est, quia nullum est jus positivum quod scripturam requirat ad valorem vel effectum privilegii; nec etiam ex natura rei est necessaria, quia sufficit voluntas et potestas principis satis declarata; potest autem declarari verbo vel consuetudine, ut infra dicemus. Confirmatur, quia privilegium est quædam lex; sed scriptura non est de substantia legis, ut supra dictum est, nec in privilegio intervenit aliqua specialis ratio. Confirmatur, quia dispensationes et licentiæ possunt sine scriptis concedi; ergo et privilegium: nam eadem ratio militat; denique, quia regula juristarum est, omnem dispositionem fieri posse verbo, quæ ex jure positivo scripturam non requirit, ut colligitur ex doctoribus citatis, et Navar., consil. 12, de Clandest. despons. Et merito, quia verbum ex se non est minus efficax signum quam scriptura, licet non sit adeo permanens, et ideo ad alios effectus, præsertim ad perpetuitatem et probationem non sit ita accomodatam; hæc autem conditiones non sunt de substantia privilegii; ergo nec scriptura, quia, ut dictum est, nullum datur jus positivum quod illam requirat.

3. Neque contra hoc ultimum obstat dictum cap. *Contra morem*: nam ex illo ad summum colligi potest, scriptum privilegium in causa de qua ibi agebatur, fuisse necessarium ad probationem privilegii; inde vero non licet inferre fuisse necessarium ad substantiam: hæc enim valde diversa sunt, et a diversis non fit illatio. Sic etiam intelligenda est Glossa citata: non enim tantum numerat ibi casus, in quibus scriptura est necessaria ad substantiam actus, seu dispositionis, sed in quibus est necessaria ad probationem. Imo, in fine addit non in omnibus illis scripturam esse simpliciter necessariam, sed tantum regulariter, vel ad melius esse, seu ad faciliorem et certioorem probationem, et hoc modo esse potest necessarium scriptum instrumentum ad probationem privilegii; non quidem simpliciter, sed

ad melius esse, ut late exponit et probat Dec. in rub. de Constit., lect. 1, n. 12, et Felin., ibi, n. 6; vel non in foro conscientiæ, sed in foro judiciali, ubi jus positivum talem modum probationis postulaverit. Et ita Ludovic. Gom. in reg. Cancel. de Non judicando, etc., q. 14; Gigas, quæst. 34, de Pension., exponunt regulam cancellariæ, quæ habet, *ut gratia Papæ nemini suffragatur litteris non expeditis*, intelligi in foro judiciali, non in foro conscientiæ; et idem dicunt de dispensationibus, eademque ratio est de privilegiis.

4. *Quid expediatur per verbum solum Fiat a Pontifice prolatum.* — Referunt autem ibi, quemdam virum doctum et expertum in curia sensisse contrarium, quia gratia a Pontifice facta, solo verbo *Fiat*, non intelligitur absolute facta, sed tantum in ordine ad expeditionem litterarum, ideoque esse quasi suspensam donec authentice sit scripta litteris expeditis. Nihilominus tamen ab ejus sententia recedunt, et contra illam plura congerunt quæ ad confirmandam supra positam resolutionem valent. Neque id quod ille auctor sumit, scilicet, per verbum *Fiat* non concedi gratiam absolute et ex tunc, sed tantum sub conditione litterarum expediendarum, hoc (inquam) ab eo non satis probatur, nec jure scripto, nec consuetudine; oppositum docent communiter doctores, et est usu receptum, saltem in foro conscientiæ. Unde quando jura volunt ut gratiæ non valeant quoad effectum aliquem absque litteris, id in particulari declarant, ut constat ex Extravaganti 1 de Elect., et ult. de Pœnit. et remis. inter communes. Et ex Trident., sess. 23, cap. 1 de Reform., et sess. 25, cap. 5 de Regular., ubi, quando vult scripturam esse necessariam pro aliqua licentia, specialiter id declarat. Unde, e contrario, per argumentum ab speciali colligitur, ubi non declaratur, necessariam non esse scripturam; in privilegio autem nullibi declaratur talis necessitas.

5. Neque est confundendum privilegium cum rescripto beneficii; sunt enim valde diversa, ut paulo post dicam, et ideo, licet in beneficiis prohibitum sit uti gratia ante impetratas litteras, ut in Extravag. *Injunctæ*, de Elect. et aliis, quæ refert Azor infra citandus, nihilominus illa prohibitio non extenditur ad privilegia, et ideo in eis nulla est talis necessitas. An vero ad probationem privilegii in foro exteriori sit necessaria simpliciter scriptura, disputant late jurisperiti, quibus hoc proprium est, et videri potest in cap. *In nostra*, de Rescript., n. 11, cum Bald. in l. *Hu-*

manum, c. de Legibus, et Felin., et Berol., ac Deci. in rubr. de Constit. Quorum resolutio est, scripturam esse necessariam regulariter ad probationem privilegii, aliquando vero posse probari per testes, ut notant ex cap. *Cum olim*, 2, de Privileg. Quod maxime videtur admitti, quando instrumentum fuit aliquando obtentum, et casu periit, vel etiam in privilegiis quæ non cedunt in præjudicium tertii, quia cum hæc probatio non sit aliquo jure positivo prohibita, videtur ad favorem pertinere, et ideo est amplianda ubi alterius præjudicium non intervenit, et maxime si aliqua consuetudo faveat.

6. *Intelligentia indulgentiarum datorum mendicantibus.*—Ex quibus etiam colligendum est quomodo intelligenda sint indulta Pontificum concessentia religiosis mendicantibus, ut possint frui omnibus gratiis sibi concessis, sive per Bullas, sive per Brevia, aut vivæ vocis oracula, prout in libris ordinarie reperiuntur, *in foro conscientie tantum, et pro majori conscientiarum securitate.* Ita enim concessit Minoribus Leo X, ut habetur in Supplemento concessionis, ibi et in Compendio Minorum, verb. *Privilegia.* Hæc enim gratia intelligi potest fuisse concessa solum ad tollenda dubia, quæ oriri possunt ex varietate opinionum, ut judicant illa verba, *pro majori conscientiarum securitate.* Vel certe potest aliquid operari, si advertamus, licet scriptura non sit necessaria ad utendum privilegio in foro conscientie, nihilominus necessarium esse ut, aliqua sufficienti via et ratione, de illo constet omnibus et singulis qui illo uti debent. Quia ergo valde incertum esse poterat quæ notitia concessionis sufficiat, ideo Pontifex ad pacandas conscientias designat modum, dicitque sufficere quod per Bullas, aut Brevia, aut vivæ vocis oracula sint concessa, et addit: *Prout in libris ordinis reperiuntur;* itaque vult sufficere ut in libris ordinis extet memoria talium privilegiorum. Et ne forte quis dubitaret an aliqua essent, aut male intellecta, et per errorem ibi posita, vel aliter obsoleta, ideo addit se pro majori conscientiarum securitate illa de novo concedere, ut in locis allegatis refertur.

7. *Rescriptum intrinsece includit scripturam.*—Atque hinc facile intelligitur quod, secundo loco, in titulo capitis proposui, quomodo privilegium a rescripto differat: statim enim apparet quædam differentia ex dictis. Nam privilegium non requirit scripturam, ut dictum est; rescriptum autem intrinsece illam includit, ut nomen ipsum præ se fert, ut

sumitur ex l. 3, cap. de Diversis rescript., ubi non quævis, sed authentica originalis scriptura ad rescriptum postulatur. Imo, si vocis ipsius compositio rigore spectetur, videtur postulare, ut rescriptum iterum atque iterum sit scriptum, quod maxime dici poterat de apostolicis rescriptis. Nam (ut ait Gloss. in cap. *Ad audientiam*, de Rescriptis) *per manus transit, et multa maturitate decoquitur.* Sed non inde sumptum est nomen illud; est enim antiquius, et in jure civili usitatum, dictumque est rescriptum, quasi responsum scriptum, et quasi per antonomasiam sunt ita appellata imperatorum responsa ad dubia juris, quæ ab illis interrogabantur, ut sumitur ex l. 4, ff. de Appellation. et relation., et ex l. 1, ff. Quando appellandum. Et quia principis responsum legem constituit, ut supra lib. 3 et 4 dictum est, ideo rescriptum jus scriptum aliquando continere dicitur, utique vel commune, vel inter partes, vel respectu ejus cui conceditur, ut referendo plures explicat Rochus Curtius in tractatu super cap. *Cum tanto*, de Consuetudine, in Præfation., n. 8.

8. *Aliud esse rescriptum justitiæ, gratiæ aliud, et quid sint.*—Hæc vero differentia et valde materialis est et non est universalis: nam responsum principis posset sine scripto dari, et eandem vim habere si ipse vellet; et privilegia frequentius scripta conceduntur, et possent ita concedi ut aliter non valeant, si superior vellet, ut per se notum est; et præterea etiam privilegium scriptum a rescripto distinguendum est. Et quidem secundum usum juris canonici et civilis, Rescriptum generale nomen est, sub se continens privilegium scriptum, et multa alia, quæ privilegia non sunt. Unde duplex solet distinguere rescriptum, scilicet, justitiæ et gratiæ. Justitiæ est, quod datur, vel ad explicandum jus, vel ad lites, seu ad dicendum jus inter partes. Et hoc rescriptum manifeste differt a privilegio, quia rescriptum justitiæ datur secundum commune jus, vel ad interpretationem ejus, vel ad debitam executionem: privilegium autem datur potius contra vel ultra jus, ut in definitione diximus.

9. *Subdivisio rescripti gratiæ.*—Rescriptum autem gratiæ subdistingui potest: in illud quod versatur circa res, et quod versatur circa facta hominum. Primum est ad conferendum beneficium vel donum aliquod gratis collatum, quod dici potest rescriptum facti potius quam juris. Et hoc a privilegio differt quia non est lex privata, nec dat proprie facultatem ope-

randi aliquid contra vel ultra legem, sicut dat privilegium. Et talia sunt in jure canonico rescripta quæ beneficialia vocantur, et dantur ad collationem, resignationem, et alias dispositiones de beneficiis ecclesiasticis faciendas. Quæ rescripta in hoc videntur convenire cum rescriptis justitiæ, quod secundum commune jus concedi intelliguntur, nisi aliud expriment: dicuntur autem gratiæ, quia ecclesiastica beneficia gratis conferuntur. Et his rescriptis respondent in jure civili illa per quæ dicuntur imperatores conferre beneficia, dignitates, administrationes, etc., lex quarta et quinta, c. de Divers. rescript. Ac denique in his rescriptis beneficialibus major est scripturæ necessitas ad consequendum effectum gratiarum beneficialium a Pontifice concessarum, quam in privilegiis, quia Pontifices ipsi ita disposuerunt, ut alibi dicemus, tractando de beneficiis, et sufficienter tetigit Azor, tom. 1 suarum Institut., l. 8, cap. 2, quæst. 5. Aliud ergo est rescriptum gratiæ pertinens ad jus operandi, et sub hoc continetur privilegium scriptum, juxta sententiam Felin. in rubr. de Rescriptis, n. 4; et Panorm. in cap. *Plerumque*, de Rescriptis. Adhuc autem rescriptum sic gratiosum latius patet quam privilegium; continet enim sub se alias gratias vel dispensationes, quæ privilegia non sunt.

10. *Communiter judicantur differre dispensatio et privilegium.*—Ad cujus declarationem ulterius inquiri potest an dispensatio sit privilegium, vel ab illo differat; convenit enim cum illo, quia etiam est gratia et favor, et non solum est præter, sed etiam contra legem. Nihilominus communiter differre censetur, ut tradunt Mandosi. in Praxi signaturæ, verbo *Dispensationes*, et Rebuffus in Concordat., titulo Forma mandati apostolici, verbo *Dispensationum*, qui alios allegant. Constituuntque differentiam, quod ad dispensationem requiritur causa, non autem ad privilegium. Sed hoc secundum non est in universum verum; nam privilegia etiam contra jus non possunt dari sine causa, ut infra videbimus, quia eadem ratio in eis militat quæ in dispensatione, vel certe major, quia magis lædunt commune jus. Unde illa differentia etiam constitui posset inter privilegia; nam quædam requirunt causam, et non, alia: imo et dispensatio interdum dicitur concedi sine causa, ut supra visum est. Et ideo dicunt alii dispensationem esse quoddam privilegium, solumque differre a privilegio in communi tanquam species a genere: a privilegio autem, quod

est contra jus, non differre. Insinuat Sylvest., verb. *Privilegium*, quæst. 3, nam, loquens de privilegio contra jus, divertit ad dispensationem. Sed nihilominus, si spectemus communem modum loquendi, non omnis dispensatio dici potest proprie privilegium. Nam frequenter conceditur dispensatio ad unum actum tantum, ut ad contrahendum matrimonium, vel quid simile; illa vero dispensatio non potest dici proprie privilegium, quia non est lex privata; non enim per modum legis stabilitur, cum nullo modo jus permanens constituat: sicut ergo præceptum temporale non est lex, ita nec concessio ad unum tantum actum contra legem dicitur proprie privilegium. Item licentia, quæ mihi semel datur ad agendum aliquid semel contra vel præter regulam, non poterit dici proprie privilegium. Dispensatio etiam in irregularitate, vel alio simili impedimento canonico, non videtur posse dici privilegium, quia solum est ablatio cujusdam defectus, quo semel ablato, licet dispensatus multa possit facere licite quæ antea non poterat, tamen jam non operatur ex privilegio, sed secundum jus commune, quia jam non est irregularis. Sicut absolutus a censura multa potest facere aut recipere quæ antea non poterat, et tamen nemo dicit absolutionem illam esse privilegium, sed esse beneficium auferens talem defectum, quo ablato jure communi alia licent. Solum ergo illa dispensatio poterit privilegium appellari, quæ per modum legis private conceditur ad operandum ordinarie, et stabilitur contra aliquod jus commune, utendo privato jure per talem concessionem constituto, et tale privilegium dici potest quasi permanens dispensatio, ideoque requirere causam tanto majorem, quo major est dispensatio, vel potius quia est multiplex, seu permanens dispensatio. Unde omnes conditiones requisitæ ad dispensationem, ad tale privilegium erunt cum proportione necessariæ, et ob eandem causam pauca de tali privilegio in præsentibus dicemus: nam quæ in libro sexto de dispensatione dicta sunt, illi sunt communia.

11. *Quomodo comparetur privilegium ad gratiam et beneficium.*—Atque ex his tandem colligitur quomodo privilegium ad gratiam aut beneficium comparetur. Non enim sunt omnino ita ut inter se convertantur, sed privilegium est veluti species gratiæ. Omne enim privilegium dici potest gratia, seu beneficium, ut constat, quia est favor, ut ostendimus: favor autem principis beneficium ejus est.

Item privilegium non solet esse debitum, et hac ratione gratis conceditur, ac subinde est gratia, unde si sit privilegium scriptum, erit rescriptum gratiæ. E contrario autem non convertitur, quia non omnis gratia vel beneficium principis est privilegium: nam omnis dispensatio sub gratia et beneficio continetur, et tamen non omnis illa est privilegium ut dixi. Quæ omnia deservire poterunt ad exponenda jura loquentia de rescriptis, et quomodo applicanda sint privilegiis, etiam scriptis. Nam quæ pertinuerint ad generales rationes rescripti, cum proportione convenient privilegio, non vero quæ conveniunt rescripto riguroso, quod continet et declarat commune jus: nam in hoc habet specialem rationem privilegium. Et ad hunc modum de aliis judicandum est.

CAPUT III.

DE DIVISIONE PRIVILEGII IN REALE ET PERSONALE.

1. Explicata ratione generali privilegii, oportet varios modos, et quasi species privilegiorum exponere: nam ad intelligenda jura et indulta hoc maxime necessarium est. Et imprimis potest dividi privilegium in divinum et humanum, ut videre licet in Anton., 1 part., tr. 19, c. 1. Divinum appellat quod a Deo ipso conceditur. Quod olim creditur fuisse in usu respectu communitatis populi Dei, quasi per generalem concessionem præter jus naturæ, qualis fuit in lege veteri facultas repudiandi uxorem, et in lege etiam naturæ licentia ducendi plures uxores viventes, juxta receptas sententias. Nunc vero potest in hoc ordine poni facultas quæ aliquando datur alicui personæ per internam Spiritus Sancti inspirationem ad aliquid singulariter operandum: illa enim in jure aliquando vocatur privata lex, ut in cap. *Duæ sunt leges*, 23, q. 2, et in cap. *Dixit Dominus*, 14, quæst. 3, et in cap. *Si licet*, § *Non occides*, 23, quæst. 3. Quæ inspiratio seu privata lex interdum non repugnat præceptis, sed sublevat hominem ad aliquid perfectius ultra illa operandum. Et tunc non meretur nomen privilegii, sed specialis auxilii, et sine periculo admitti potest, quamvis semper prudentia necessaria sit. Interdum vero exorbitat a communibus, ut fuit in Samsone ad se occidendum. Et talis lex privata, quamvis interdum dari soleat ex dono Spiritus Sancti, tamen multum habet periculi, si non examinetur summa cum diligentia, et præsertim per ecclesiasticam regulam, et le-

ges, juxta cap. *Nisi cum pridem*, de Renunt., cap. *Cum ex injuncto*, de Hæret., et legi potest D. Thom. 2. 2, q. 171, artic. 3, et ibi Cajetan.

2. Privilegium autem divinum, hoc modo sumptum, magis spectat ad quamdam dispensationem, vel potius mutationem factam in materia legis naturalis, de qua supra dictum est. Et præterea prior modus talis dispensationis jam non est in usu: qualis autem olim fuerit, in materia de matrimonio consideratur. Posterior autem modus dispensationis rarissimus est, et pertinet ad divinum instinctum, de quo in materia de fide et prophetia dicendum est. Præter hæc vero solent dici divina privilegia, quæ Christus Ecclesiæ suæ concessit, vel Pontifici vicario suo, aut ordini clericali. Sec hæc non sunt privilegia prout nunc de illis tractamus; tum quia licet sint specialia dona, non sunt ex lege privata, sed ex jure divino, communi, et ordinario legis gratiæ, et quasi connaturali Ecclesiæ Christi, ut ab ipso fuit instituta, et ita non sunt præter jus, sed secundum jus, quod in se continent: tum etiam quia nunc non agimus de lege divina, sed de humana.

3. *Privilegium humanum aliud reale, personale aliud, et quid sunt.* — Omissis ergo divinis privilegiis, humanum dividi solet in reale et personale, Quæ divisio insinuat in c. *Mandata*, de Præsumpt. ibi: *Non loco tribuimus, sed personæ*; quamvis ibi non de proprio privilegio, sed de quadam pontificia delegatione sit sermo, tamen est eadem ratio, et fere similia sunt verba in l. *Privilegia*, 196, ff. de Regul. jur., ubi dicitur: *Privilegia quedam causæ sunt, quedam personæ*. Sumitur etiam clare ex l. *Forma*, atque *Quanquam*, ff. de Censib., et in eisdem juribus satis insinuat divisionem esse sufficientem; quamvis enim addi soleant alia membra, ad hæc possunt reduci, ut jam dicam. Privilegium ergo reale dicitur, quod conceditur directe alicui rei, muneris, vel conditioni distinctæ a persona. Personale vero, quod immediate fertur in personam ratione sui; sicut dividi solent decimæ in reales et personales, et interdictum similiter. Unde sicut in illis alibi diximus, ita in præsentem advertendum est quod, licet omne privilegium principaliter et quasi ultimate referatur ad alicujus personæ utilitatem, usum, vel fructum: quia, sicut leges, ita et privilegia non feruntur, nisi propter hominum commoditatem aut favorem; nihilominus fructus et utilitas privilegii frequenter versatur proxime circa res, et circa prædia, domos, merces, of-

ficiam, et alias res similes per quas redundat utilitas in personam habentem talem rem aut dignitatem, aut existentem in tali loco. Et ideo ad distinguenda illa duo membra, oportet attente distinguere personam quæ fruitur privilegio, a subjecto cui veluti immediate adhæret immunitas privilegii; non enim sumitur divisio ex persona primo modo spectata, quia, hoc modo omnia privilegia dici possunt personalia, vel potius personarum; sed ex re vel persona posteriori modo consideratis, utriusque membri ratio et distinctio sumenda est; nam si privilegium adhæret rei distinctæ a personis, et per illam transit ad dominum vel possessorem, privilegium reale est, ut sunt immunitas templi, servitus, vel tributum prædio aut fonti adhærens. At vero si immunitas privilegii ipsi personæ immediate, quasi ratione sui, inhæreat, et sub hac ratione illi concessum sit, tunc est personale. Contingit tamen ut, licet privilegium non adhæreat rei existenti extra personam, nihilominus non sit in ipsa persona, nisi ratione alicujus conditionis adhærentis illi, ut ratione dignitatis, verbi gratia, episcopatus, clericatus, principatus, aut doctoratus, etc., aut ratione muneris, seu officii, ut iudicis, militis, scholaris, vel ratione necessitatis, ut minorum, pauperum, etc.; ratione actionis, ut piæ causæ, etc.; et de his privilegiis potest esse ambiguum, an sint personalia vel realia. In quo attendenda videtur qualitas conditionis cui privilegium proxime adhæret censetur. Nam si illa sit de se perpetua, vel per successionem vel per adhæSIONEM ad aliquod corpus perpetuum, tale privilegium reale censetur, quia cum re ipsa transit et durat; et tale est privilegium episcopatus, cardinalatus, senatoris, et similia: si vero talis conditio sit in se temporalis, vel saltem finiatur cum persona, privilegium nihilominus censetur personale, licet interdum multum habeat de reali, et ideo mixtum appelletur.

4. *Quomodo dignoscatur an privilegium adhæreat personæ, vel rei.* — Quæri autem solet quomodo dignoscatur an privilegium adhæreat personæ, vel rei; de quo puncto multa scribunt juristæ in l. *Quia tale*, ff. Solut. matrim., et in aliis locis infra referendis. Nos autem breviter dicimus tria vel quatuor spectanda esse, scilicet, modum personæ cui fit gratia; ratio seu causa quæ movet ad concessionem; res, quæ ibi intervenit, circa quam versatur immunitas privilegii, ac denique verba privilegii. Circa personam advertendum est quamdam esse personam propriam, ut est

unus homo, aliam fictam, quæ corpus mysticum etiam solet appellari, ut est civitas, religio, collegium, monasterium, universitas et similia. Si ergo privilegium directe fiat personæ factæ, id satis est ut privilegium sit reale, quia perpetuum est, juxta l. *Forma*, § *Quanquam*, ff. de Censib., quia talis persona ficta perpetua est, juxta l. *Proponebatur*, ff. de Judic. Proccedit autem hoc, sive privilegium concedatur corpori ad usum totius corporis per modum universitatis in unum congregatæ, sive concedatur eidem ad usum singulorum, sive e converso detur singulis de tali corpore ratione totius, et ut sunt membra talis corporis, id est, ut cives, vel religiosi sunt. Quia, ut sumitur ex l. 2, ff. de Reb. dub., etiam hoc modo censetur, privilegium per se primo concedi tali corpori mystico, quod est res quædam perpetua per continuam quamdam successionem, et ideo tale privilegium reale est et perpetuum.

5. Si autem persona cui conceditur privilegium sit vera, non statim privilegium est personale, sed subpartitione opus est. Nam aliquando est persona particularis, aliquando vero est genus personarum, ut minores, mariti, uxores, et similes, et utrumque ex his vocari potest personale, ut notat Barbo. in l. *Quia tale*, n. 14, ff. Solut. matrim., cum Lasio in l. *Maritum*, eod. n. 32. Et de priori quidem per se patet. Quia tale privilegium soli illi personæ adhæret, et cum illa finitur, quæ est conditio maxime propria privilegii personalis, ut patet ex dicto cap. *Privilegia*, et ideo non transit ad hæredes, ut habetur in dicta l. *Maritum*, et dicta l. *Quia tale*, et dicta l. *Forma*, et optime in l. *Sordidorum*, c. de Excusat. muner., lib. 10. De posteriori vero ratio est, quia tale privilegium singulis personis veris sub illa communi appellatione conceditur, non ratione communitatis talium personarum, aut alicujus corporis mystici ex illis compositi, sed ratione sui, et prout in unaquaque est, illi soli prodest, et cum illa extinguitur, quæ sunt conditiones privilegii personalis. Quia vero hoc privilegium, sic in communi concessum certo generi personarum, moraliter perpetuum est, quia nunquam sub illo communi genere deesse possunt individua in quibus privilegium illud conservetur, ideo multum simile est privilegio reali, et ab aliquibus ita vocatur.

6. Item potest considerari alia ratio, quia tunc videtur concedi privilegium non tam personæ quam certæ conditioni existenti in